De Indemonstrabilitate Immortalitatis Animorum.

Votum

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. HYACINTHI LIBELLI

Sacri Palatij Apostolici Magistri.

TITIVS quidam certo loco publica auctoritate constitutus librorum censor vetuit ne imprimeretur a quodam Magistro Scotista sequens conclusio. *Est anima rationalis omnino spiritualis, immortalis & incorruptibilis; lumine tamen naturæ nequit eius immortalitas demonstratiue probari, licet possit pluribus rationibus probabilibus suaderi.* At facto per dictum Scotistam recursu ad superiores, scripserunt hi vt censor indicaret quibus rationibus dictam conclusionem edi prohibuerit. Qui respondit duplici ratione ad id inductum fuisse: Primo quoniam adolescentes, qui à magistro prædicto illam conclusionem didicerant, gloriabundi (vt asserit) per viarum compita balbutiebant non posse demonstrari naturalibus rationibus animam esse immortalem; ex quo præter aliorum scandalum consequebatur periculum, ne debiles illi adolescentes confunderent eam ipsam propositionem cum illa, quam vetuit Concilium Lateranense sess 8. nimirum *philosophicis argumentis probari, quod anima sit mortalis*: Secundo quoniam asserere quod solum fide constet animam esse immortalem, a quibusdam auctoribus ita temerarium esse iudicatur, vt temerarium est asserere Solē in meridie non lucere. Ad ipsum autem censorem spectare, ne quisquam propositiones temerarias euulget intra ditionis fines, vbi censoris officium exercet.

Re ad me delata prædictis rationibus non obstantibus censui non potuisse prohiberi prædictæ propositionis impressionem, tutamque omni-

omnino esse, omnique fermento malitiæ carere propositionem prædictam, nempe *immortalitas humani animi non potest a nobis ratione naturali demonstrari*.

Et ratio est, quoniam assertam propositionem defendunt grauissimi viri; Eam in primis propugnat egregie & sibi consueta subtilitate Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 2. §. de secunda propositione, qui vnus sufficeret ad conciliandam eidem conclusioni auctoritaté. Deinde suum magistrum sequuti sunt, etiam post Concilium Lateranense, & hodie sequuntur quotquot eius discipuli aut ipsum cõmentati fuerunt, aut de hac materia scripserunt, quorum auctoritas & opinione virtutis & numero venerabilis est, & non nisi magna iudicij arrogantia damnaretur. Scotum secuti sunt etiam alij viri egregij aliarum familiarum, nempe Caietanus, & quidem causa cognita: nam vt obseruant Bagnez & Lerma, cum part. p. quæst. 75. artic. 2. & 6. accusasset Scotum, quod in tanta luce demonstrationum, quibus immortalitas euincitur, illius demonstrabilitatem non agnouerit, mutat postea sententiam, & probari non posse asserit, dum sacras scripturas commentatur, videlicet super cap. 9. Epistolæ ad Romanos, & super cap. 4. Ecclesiastici, Arriaga disp. 10. de anima num. 12. Vatablus eodem cap. 4. Ecclesiastici nu 2. Iandunus apud Bagnez p. 1. quæst. 75. art: 6. dub. 2. Iul. Scaliger exercit 307. num. 35. Citat. Poncius Conimbricenses de anima separata art. 3. eo forte fundamento quod asserant in §. quod vero. Quod argumenta quibus probatur animæ immortalitas non ita euidenter rem conficiunt, vt ea quæ apud Euclidem, & satis esse debere vnicuique, si prædicta immortalitas declaretur perinde, ac subiecta materia postulat secundum Aristotelicos canones desumptos ex primo Ethicorum cap. 3. Opinio ergo Scoti innumerabilium Scotistarum auctoritate stabilita, totque aliorum approbatione Doctorum confirmata non nisi magno rei literariæ preiudicio a typis arceretur.

His accedit auctoritas D. Thomæ, qui lect. 2: super 4. cap. 1. ad Corinthios asserit, quod si negatur resurrectio mortuorum non de facili, immo difficile est sustinere immortalitatem animæ; quia nihil violentum (inquit ipse) debet esse perpetuum. Videtur ergo sentire S. Thomas, quod a fide resurectionis dependeat consensus in immortalitatem animæ, & quod ea ablata intellectus impingeret in principia naturæ; quibus animi immortalitas hominibus fide non instructis repugnare videtur. Scio nostros Thomistas auctoritatem hanc suæ ipsorum sententiæ accommodare: videatur præsertim Lerma in egregia quæst. quam post l. 3. de anima impressit. Verum in præsenti non quid Thomistæ dicant (quamuis meo priuatim iudicio rationabilius loqui existimem) sed quid Scotistæ impune dicere possint, referimus; cumque textum prædictum pro se adducant, no

est

est cur illos doctrinæ minus sanæ, & typis non consignandæ damnemus.

Nec argumenta, quæ pro se scrupulosus censor adducit, alicuius sunt roboris; non quidem primum: nam quid interest, quod adolescentes dixerint palam iactabundi, immortalitatem animæ non posse naturali ratione demonstrari? Si hoc idem erat in ore omnium antiquorum, si id sæpe philosophi, sæpe SS, Doctores repetebant: si hoc ipsum ante illos dixerat S. Augustinus 13. de Trinitate cap. 8. de ijs, qui eam argumentationibus inuenire conati sunt; paucos nempe magno præditos ingenio, otio, doctrinisque subtilissimis eruditos ad ipsam indagandam peruenire potuisse. Quod ergo contigit eruditis illis viris; cur pudeat pueros, qui vix Philosophiæ limen salutauerunt, confiteri? qui sicut & cæteri, qui naturalibus argumentationibus non præmuntur; tantum abest, vt cogendi sint dicere se demonstrationem habere, quin potius monendi sunt, vt illis relictis fide credant, quemadmodum suis auditoribus S. Gregorius lib. 4. moralium in fine, adductis prius validis rationibus ad ostendendam animi immortalitatem, persuasit his verbis, *qui propter istas rationes noluerit credere, propter fidem credat*: & quemadmodum credidit S. Augustinus, qui dixit se immortalitatem animæ per rationem non tenuisse, sed tantum per Euangelium dicente Christo, nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. Num pueris persuadendum est, vt Sancto Augustino meliores euadant?

Tantumque abest, quod præfata opinio sit scandali aut erroris inductiua vt Titius censor inculcat, quod contrarium potius *Scotus* ipse, Auctoresque Scotistæ accidere putant, dicentes ad informandos ad pietatem iuuenum animos aptiorem suam ipsorum opinionem esse quam oppositam: Scotus enim in fine quæstionis ex sua opinione colligit maximas esse gratias referendas misericordiæ Creatoris, qui nos per fidem in his quæ eruditissimi attingere non potuerunt, certissimos reddidit, vt aduertunt Regentes Patauini Disp. 1. quæst. 19, ex his omnibus: Quod argumentum versauit antea latissimè S. Augustinus pie ac sapienter admiratus epist. 3. ad Volusianum quod cum tot lites præcesserint inter sapientissimos Philosophos circa animæ immortalitatem, & pauci fuerint eam assecuti; nunc tamen illa tenent firmissime idiotæ & mulierculæ; ita vt a nullo Philisopho possint ab hac assertione dimoueri: idemq; argumentum eleganter prosecutus est postea Villalpandus in opusc. de immortalitate animæ in principio.

Post Scotum vero scotistæ aliud ad pietatem incentiuum in sua opinione inuenerunt, quod est; vt homines melius in fide immortalitatis stabiliantur. Poncius enim disputat. 11. de anima rationali quæst. 5. num. 22. asserit operæ pretium esse defectum rationum pre-

Q 2 ban-

bandum immortalitatem animorum examinare, ne quis fidens aliquibus argumentis si posteà occurreret, qui eorum vim probabiliter, aut clare extenuaret, de ipsa conclusione cum summo animæ suæ detrimento dubitare inciperet. Non ergo accusandi sunt philosophi tyrones, si id quod a suo magistro audiuerunt, in plateis balbutiant, quando doctrina, quam eos magister docuit, sana est, & in illorum animis pietatem promouere potest, iuxta ea quæ doctiores ac sanctiores viri multo ante docuerunt.

Nec Titij censoris suspicio rationabilis est, quod scilicet pueri illius loci imbecillis ingenij cõfusuri sint hanc scoticam opinionẽ cum ea, quæ amnata fuit a Concilio Lateranensi sub Leone X. quæ fuerat paul dante opinio Pomponatij. Nam quis vnquam dixerit attentum hominem posse opinionem Pomponatij cum opinione scotica confundere? Pomponatius asseruit posse per Philosophiam demonstrari animam esse mortalẽ: Scotus autẽ oppositum asserit, quinimo pluribus auctoritatibus, & rationibus exaggerat immortalitatem animi spectare ad fidem, contra quam certum est præualere non posse naturalem rationem. Vel ergo pueri de quibus Titius loquitur, si hæc duo distinctissima confundant, facile doceri poterunt, vel si ita dementes sint, vt doceri non possint de re tam perspicua, vapulare potius debent, quam aut erudiri, aut de ijs vlla omnino ratio haberi.

Quamobrem Concilium Lateranense, nihil opinioni Scoti offecisse docuerunt grauissimi doctores, inter quos Ruuius de anima separata quæst 4. num. 56. & Collegium Conimbricense de anima separata disp. 1. art. 3. in fine, qui fatetur se vsum non fuisse auctoritate Concilii Lateranensis contra Scotum; quia quamuis, inquit, hæresis damnetur, qui secundum Philosophiam dixerit animam rationalem mortalem esse: non tamen propterea fit, vt inuenta iam sit philosophica ratio, qua immortalis esse demonstretur. Cum denique non adducat censor aliud fundamentum suæ opinionis, præter quam quod iuuenes illi discipuli a magistro Scotista eruditi publice dixerint, non posse naturaliter probari immortalitatem animi, quod ipsis suo iure dicere licuit, & præter quam illorum qui dictata in scholis exceperunt imbecillitatem ingenii, quod facile erudibile est in re tam clara; constat euidenter eius suspicionem fuisse irrationabilem, & ad tuendam iniustam negationem facultatis imprimendi protrusam.

Secunda ratio quam adducit Titius censor ad tuendam iniustitiam negate facultatis, multo minus concludit: nam fatemur plures auctores putauisse temerarium esse asserere immortalitatem animi sola fide doceri, nullaque naturali ratione demonstrari, & inter eos numerari aliquos insigniores Thomistas. De qua re videatur Bagnez prima parte quæst. 75. art. 6. dub. 2. Et præcipue Canus de locis Theologicis lib. 12. cap. 15. qui censuram hanc multa verborum exaggeratio-

ratione amplificat. Item vt censori demus plusquam ille vult; fatemur ex alienis etiam familijs quamplurimos temeritatis notam prædictæ opinioni affinxisse, vt Conimbricenses loco citato disp. 1. art. 4. §. ex dictis. Qui vlterius addunt, quod si Scotus, & Caietanus nunc viuerent, mutarent sententiam; & sentirent, quod sentiunt alij: Toletus asserens sententiam Scoti post Concilia Viennense & Lateranense sub Leone X. videri temerariam; sunt & alij qui idem affirmant: At non propterea debuit Titius censuræ suæ aciem acuere, tamque mordicus negare facultatem prædictam sententiam imprimendi, nam non debet prudens censor quascunque propositiones putatas ab aliquibus temerarias intercludere, ne in publicum prodeant; sed illas dumtaxat, quæ temerarie ab omnibus iudicantur. Illæ vero, quarum temeritas in controuersia est, si graues auctores pro vtraque parte militent; nullo modo impedire debet, ne exeant, nisi magnam partem Theologiæ & Philosophiæ de medio tollere velit: Passim enim occurrunt in libris Dominicanorum, & Franciscanorum controuersiæ de censura, qua afficiendæ sunt prædictorum auctorum sententiæ; nec tamen cuiquam in mentem venit ex illorum libris eradere illam, quæ probabili censura notatur, dummodo alij probabiliter a tali nota se purgent. Fuerunt, qui dixerunt Scoticam distinctionem ex natura rei positam inter essentiam Diuinam & personas, qua nil celebrius, esse concilio Florentino repugnantem; Vasquez par. 1. disp. 120. conatur ostendere non alijs fundamentis fulciri, quam illis quibus fulcitur hæresis Gilberti, nec alijs argumentis impugnari. Fuerunt alij, qui dixerunt temerarium esse affirmare quod pueris baptizatis non infundantur virtutes; neutram tamen opinionem pestilentem esse putant censores librorum, cum temeritas asserta, non sit temeritas explorata, sed controuersa, sub Iudice posita, & quam a se strenue accusati doctores reijciunt. Pari ratione non debuit censor noster temeritatem iniustam sententiæ scoticæ de animæ immortalitate ita pro comperta atque explorata habere, vt ad vetandam editionem animum suum adiungere debuerit. Quoniam scoticæ omnes, qui doctrina & numero florent, quos certe paucas intra myriades minime concluseris, a se hanc assertam calumniam probabiliter, ac strenue depellunt.

Eo vel maxime quod alij etiam sunt, qui Scoti doctrinam non profitentur, & tamen de hac materia tractantes non audent opinioni Scoti hanc Theologicam temeritatis censuram affigere; quinimo & aliqui Scoticam opinionem ab hac censura liberant: videatur Ruuius auctor grauis Societatis Iesu, qui de anima separata quæst. 4. num. 56. rotunde docet sententiam Scoti, & Caietani non esse aliqua censura dignam, & perinde discurrendum esse de immortalitate animæ ac de quadratura circuli, quam dari certum est, nec tamen quomodo dari possit vsque

que adeo probatum est; sic immortalem animam esse confitentur Scotistæ, qua autem ratione id euidenter demonstrari possit, vsque modo ignorare homines putant.

Vt ergo in hac eadem materia de animi immortalitate reperiuntur aliquæ opiniones, quæ licet non sint hæreticæ, sunt tamen secundum omnes temerariæ, vel hæresi proximæ, vt est illa, quæ asserit animã rationalem non esse ex natura sua immortalem; de qua idem Rouius quæst.5. num.71. & quæst. 4. nu. 54. quam tenuisse asserunt Sophronium quemdam in 6. Synodo actione 11. & hæ similesque cura censorum excludi debent & a libris longe secessere: sunt aliæ quoque quarum temeritas, aut censura est in controuersia, & si censor alterutrus ex digladiantibus inter se partem suscipiat, in officio delinquit, & præuaricatur. Non enim iudex sententiarum aut librorum esse necessario debet aut Thomista, aut Scotista; sed conuenit fieri omnibus omnia, & peræque singulis fauere; vt videlicet hac opinionum collisione lux veritatis, cum id Deus dederit, eruatur.

Quod autem asserit exhibita pro Titio informatio, nempe quamplurimos fuisse auctores qui affirmauerunt propositionem asserentem animæ immortalitatem notam esse solum ex fide, esse ita temerariam, sicuti temeraria est illa quæ asserit Solem non lucere in meridie puto esse falsum, & in eo censorem supradictum crassa æquiuocatione se implicasse: nam aliud est animæ immortalitatem ita certam esse, vt nobis certa est lux meridiei; qua dicendi forma vsi sunt S. Augustinus lib.13. de Trinit. cap.9. & Chrisostomus serm. 4. de prouidentia asserentes non minus esse dubitandum a Philosophis de animæ immortalitate, quam an sit dies in meridie; immo in fortioribus terminis loquitur sacer textus Sapientiæ 2. stultos & insipientes vocans eos, qui immortalitatem animæ negant. Et aliud est rationes probantes animæ immortalitatem ita rem hanc claram facere, vt clara est lux meridiei, & hoc nullus certe dixit nec dicere potuit, nisi forte talis sit, cui sua sine riuali stupendum in modum arrideant: Nulla enim est demonstratio ex omnibus his quæ adducuntur a doctoribus, quæ omnibus placeat; immo quæ vni placet, alteri displicet. Prima ratio desumpta ex iustitia Dei retributoris præmiorum &pœnarum, quæ adeo visa est efficax D.Ioanni Chrisostomo, vt ea certitudine credendum esse asserat animam esse immortalem, vt certum est iustum esse Deum, quamplurimis alijs non placet, qui adhuc naturali lumini ignotum esse dicunt; an Deus gubernet Mundum secundũ leges iustitiæ distributiuæ & punitiuæ nec ne. Secunda ratio desũpta ab appetitu immortalitatis, quæ ab omnibus fere adducitur tanquam vna ex potissimis demonstrationibus, Bañezio non placet; & loco citato asserit esse congruentiam, & non demonstrationem. Tertia denique, quæ a plerisque merito existimatur inuicta desumpta ex subsistentia & existentia per se animæ, existimatur inefficax a Valentia prima part. disp.6. q.2. par.3. qui addit non esse euidentem. Vbi ergo

go eſt hic rationum ſplendor meridiei ſplendori comparabilis? cum nulla illarum ſit, quæ omnibus etiam demonſtrabilitatem animæ defendentibus placeat, & cuius lucem intueri poſſint omnium intellectualium oculorum acies præſertim acute, & valide.

Sunt ergo cæci non valentes lucem meridiei videre, ſunt ſtulti, ſuntque dementes, vt inquit Plato lib. 11. de legibus, illi qui negant animi immortalitatem, non quia id alijs euidentibus rationibus ſit demonſtratum; ſed quia veris, (vt idem Plato ſubdit) tritis, antiquiſque ſermonibus opponuntur, hoc eſt quia tot perſuaſibilibus rationibus ſumptis a veritate, antiquitate, & communitate oſtenditur, vt omnino ſtultus cenſendus ſit, qui refragetur. Quemadmodum qui Neapolim eſſe negaret, hoc ſolum nomine quod nunquam eam vidiſſet, caligans in meridie & ſtultus diceretur; ſuper qua re videatur Scotus in 4. diſtinct. 42. quæſt. 2. qui multa congerit ex Ariſtotele, alijſque Philoſophis, vt oſtendat homines contentos eſſe debere paruis ſufficientijs, & probabilibus perſuaſionibus.

Quamobrem cenſeo cogendum eſſe Titium cenſorem ad concedendam facultatem imprimendi concluſionem, de qua actum eſt. Ita cenſeo ſaluo ſemper, &c.

Frater Hyacinthus Libellus
Sac. Pal. Apoſt. Mag.